QUÆ. RES. MIHI. MEISQUE. OLIM. BENE
ATQUE. FELICITER. EVENIAT
PRÆSIDE
D. O. M
CONSENTIENTE
RATIOSISSIMA. FACULTATE
MEDICA
HANC
DISPUTATIONEM. MEDICAM SOLENNEM
De
STERILITATE UTRIUSQUE. SEXUS
IN
NCLUTA. NORICORUM. ACADEMIA
PRO
UMMIS. IN. ARTE. MEDICA. HONORIBUS. ET
PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
RITE. CAPESSENDIS
QUINTO. CALENDAS. JULII
cIↃ. IↃcLXXII.
P. P

OHANNES. USLEBERUS
ALTENBURGENSIS

ALTDORFFI
EX. OFFICINA. JOHANNIS. HENRICI. SCHÖNNERSTÆDT

Prooemium.

S*Terilitas quanto opprobrio olim apud priscos fuerit, quantâve infamiâ steriles hinc inde apud varios affecti fuerint. de hoc historiæ utramq; nobis faciunt paginam, Sic de Romanis mulieribus refert* Josephus Laurentius Lucensis, l. 5. Polymath. *eas Lupercis februantibus occurrisse, ut ferulis ad concipiendum publicè verbarerentur. Imò ut* idem. l. 6. p. 494. *testatur, in funeribus fœcundis matronis honoratior vestis permissa erat, quàm sterilibus, idq;* ex Turneb. advers. l. 23. c. 7. *probat. Hinc etiam erat, quod sterilem vaccam plerumq; animabus mortuorum mactabant, ob summum scilicet odium, quò id, quod sterile erat, nullosq; fructus ampliùs proferebat, prosequebantur*, eod. Laurentio teste loco cit. *cùm tamen è contra à nubentibus tempore luctûs vacca prægnans immolata fuerit.* vid. Plutarch. in Numa, & cit. Laurent. l. 2. Polymath. dissert. 4. pag. 96. l. 3. de Nuptial. synopsi 15. pag. 263. *Probrosa etiam olim Judæis fuit, hodièq; adhuc exosa est Tartaris, adeò, ut steriles ne quidem pro uxoribus habeant. Corinthis etiam olim, si* Plutarcho *credimus, tàm odiosi fuere steriles, ut innuptos, nullosq; liberos generantes, nullo sepulchro dignos judicaverint. Hæc ergò & similia ignominiosa Romanæ mulieres ut effugerent, idcircò Deæ Orbonæ aram quandam ad ædem Larium dicavêre, ut orbitatem evitarent*, vid. Arnobius contra Gentes l. 4. *variaq; alia excogitarunt media, quibus abominandam sterilitatem, hancq; subsequentes pœnas à se declinarent. Per hanc autem, cùm impediatur conceptus, facilè*

cile totius speciei interitus exindè sequi posset. Dignus proinde hic est affectus, qui ventiletur, omniumq; affectuum muliebrium Medico cognitu maximè necessarius, ut sic animal, quod aliàs in individuo caducum est, per fœcundum coitum in specie perpetuetur. Sterilitatem igitur utriusq; sexus Tibi, B. L. consensu Nobilissimi Medicorum Ordinis loco Inauguralis thematis nunc sistimus, hancq; præ cæteris ex affectibus mulierum selegimus, cū, autore Theodoro Prisciano, *nullum Medicorum studium sanctius extet, quàm quod circa prolem progignendam impenditur. Tu verò, DEUS alme, ut omnia feliciter cedant, placidus audi, conatusq; nostros felices esse benignè concede!*



ΘΕΟϹ! ΘΕΟϹ!

DISPUTATIONIS DE STERILITATE UTRIUSQUE SEXUS

SECTIO I.

De Sterilitate Virorum.

CAPUT I.

Nominalem definitionem cum reali exhibet.

STerilitatem natales ſuos Græcis debere, & dici ἀπὸ τοῦ στερέειν, orbare, privare, autor eſt *Becmannus in Orig. L. L.* Veteres à barbarâ voce *Stera*, quam pro Græca ὑστέρα accipiebant, dixerunt, ut apud *Gerhard. Joh. Voſſ. l. 2. de vitiis ſerm. c. 50.* eſt videre: Aliis dicitur στείρωσις, aliis στήρωσις, & ἀτεκνία, ἀτοκία, ἀτοκεῖα, ἀγονία, ἀφορεία, & ἀγεννησία: Latini per *impotentiam concipiendi & generandi*, per *infœcunditatem*, per *irritum complexum*, perq; *vanum concubitum* deſcribunt. Sterilitatem autem varii variè accipiunt. Quidam enim ſumunt *latiſſimè*, dum eam inanimatis etiam, v. g. agris, &c. attribuunt; alii *latè* ſumunt, dum & viro, & fœminæ commune malum eſſe dicunt; alii *ſtrictius*, dum ſoli mulieri attribuunt, quæ ultima acceptio reſpectu variarum cauſarum diſtinctionem admittit. Alia enim ſterilis eſt à vitio naturali congenito; alia per collationem ad virum proprium; alia ob diſpoſitionem morboſam; alia ad tempus tantum ſterilis eſt, vel propter ætatem inconvenientem, aut tenellam conſtitutionem, & ſexcenta alia; alia totaliter

 ſterilis

ſterilis eſt. Hiſce præmiſſis, ad realem ipſam accedimus, & ſterilitatem definimus, quòd ſit *Impedita flammæ vitalis à generante ad generandum in muliere concurrentis continuatio, dependens tàm à vitiosâ vehiculi ſeminalis diſpoſitione, quàm ab incommoda ejus in ſinum, arvumq; deductione.* Mas enim non in ſe ipſo, ſed in fœminâ generat, hinc quando conceptionem abortus ſequitur, ſterilitas non habenda, nec conjugium ſterile dicendum.

CAPUT II.

Quod Subjectum conſiderat.

DUplex autem ſterilitatis ſubjectum inprimis ponimus, *teſtes* ſc. & *penem p. n. conſtitutos. Teſtes* ergò 1. quod attinet, duplici vitio ſterilitatem nobis inducere videntur, quatenus ſcilicet ob defectum materiæ chyloſæ, ex qua ſemen eſt elaborandum, non ſufficiens ſemen producitur; vel quatenus ob multiplex teſtium vitium, horumvé vitiatum peculiare fermentum non ritè, neque fœcundum ſemen elaboratur. Materia itaque hæc ſanguinis adhuc crudior, chyloſa, ſubdulcis & pinguis, quam *c. Barbato tr. de ſero ſanguinis, & Cornel. Conſentino progymnaſm. V. p. 176. & ſeqq.* veram ſeminis materiam eſſe credimus, ut naturaliter in nutrimentum partium ſpermaticarum impenditur, ita etiam eadem ipſa pars chyloſa hinc inde ſecreta, varios humores, in ſpecie lac in mammis, nutrimentum fœtus in utero, & imprimis materiam ſeminis largitur. Hæc enim parte aquoſâ diluta cum ſanguine per arterias ſpermaticas, ſive præparantes ad teſtes advehitur, ubi per arteriolas iſtas, quæ vaſcula ſeminaria amplexu ſuo firmiſſimè detinent, in cavitatem iſtorum vaſculorum deponitur, & quaſi tranſudat, reliquo craſſiore ſanguine per venas remeante, parte verò aquosâ à vaſis lymphaticis abſorptâ. Huic materiæ deinde ſpiritus animales nonnulli permiſcentur, qui ipſi ultimam perfectionem addunt, ita, ut tum in teſtibus primum fuit aquea, & cinerea, poſt in Epididymidibus fiat craſſa, & lactea, perq; deferentia, & ſic porrò per penem tandem ejaculetur. Quod autem dicta materia chyloſa ſit materia ſeminis ex quâ, omnia ejus attributa confirmant, color ſcilicet ejus lacteus,

lacteus, consistentia chylosa, & materia subpinguis: unde & ad morem pinguium semen inflatum spumescit, & in bullulas abit. Quicquid ergò hanc materiam pinguem, chylosam absumere aptum natum est, seminis defectum, & per consequens, sterilitatem inducere potest, de quibus capite sequenti nobis dicendum erit. Quod verò non ritè aliquando semen elaboretur, minusque fœcundum generetur, accidit, dum alio quodam affectu testes laborant, v. g. tumoribus variis, inflammationibus, vel quando planè nulli adsunt, vel ob vitiatum, & labefactatum eorum fermentum, seminis elaborativum. Nam vasculis istis testium seminariis peculiare inesse fermentum, sub dierum cursu anno nempe ætatis 14. evigilans, satis confirmatur ex eo, quod tàm insignes in toto corpore sub annis pubertatis fiant alterationes, quæ solùm fiunt, quatenus istud seminis fermentum successivè sanguineam massam alterat, & quasi fermento inspirato volatiliorem & spirituosiorem eandem reddit, unde & ab iis robur corporis, & singularis virium vigor, barbæ, & pubis eruptio, vox gravior, & alia, tàm fœminis, quàm viris, tunc communia. Unde etiam fit, ut, *Hippocrate* teste, epilepsiæ puerorum desperatæ sub 14. annum spontè curentur, ob tàm insignem alterationem sanguinis. Eunuchi autem, testibus & per consequens etiam hoc fermento carentes, effœminati manent, quia sanguis ab isto non potest mutari. De his mutationibus plura si desideras, adi sis *Regneri de Graaf. tr. curiosum de virorum organis generationi inservientibus, & χαριεστάτου Mœbii Fundam. Physiolog. cap. de partibus generationi dicatis in viris.* Fiunt autem hæ mutationes ab isto fermento, dum sub pubertatis annos excitatum, sanguinem affluentem alterat, & similem fermentativam vim tùm ipsi, tùm lymphæ ex testibus refluentibus imprimit, unde tota alterata & fermentata ejus massa, per flam̃am vitalem adauctam, totius corporis habitum similiter alterat. Fermentum autem istud naturæ salinæ & spirituosæ est, unde, quando istud torpet, minusque volatile est, tunc causa deficientis seminis evadit. Præparari autem, & elaborari semen masculinum in eorum testibus, jam certum est, viderique potest de hoc *B. Mœb. l. c. p. 477.* Hi testes autem nil aliud sunt, quàm congeries minutissimorum vasculorum, in quibus semen perficitur, uti

hoc

hoc *Fracassatus* Bononiæ primò, & postmodum etiam *citatus Graaf. l. c. p. 55.* In Belgio invenit; quorum vasculorum aliquot ex teste erumpentia variis suis flexibus corpus illud constituunt, quod testium dorso incumbit, & Epididymis appellatur, quod ipsum tandem delatum in vas deferens, in vesiculas seminales abit, unde semen in testibus elaboratum, perfectumque redditum in Epididymidibus, per canalem deferentem in vesiculas seminales deponitur, suo tempore concurrente mutua partium genitalium in συνουσία attritione excernendum, aut potius ex affluente sanguine calefactum, & spiritibus copiosis affluentibus turgidum, spumosumque cum impetu ejaculandum. Harum partium accuratam anatomiam invenies apud accuratum istum Anatomicum *Regnerum de Graaf. l. supra cit.* quem ad hæc conferre poteris. Et hæc de testiculis dicta sufficiant. Sequitur nunc *alterum Sterilitatis subjectum*, Penis scilicet vitiatus, læsa ejus erectio, & hinc oborta inepta, & abolita seminis effusio. Læditur autem hæc penis erectio, ad coitum tàm necessaria, his duobus potissimùm modis. (1.) *quando deficit, & imminuta est*, (2.) *quando depravatur*, dum penis non convenienti modo & figura turgescit, ob læsos musculos, ipsum aliàs erigentes, vel ob impeditum sanguinis arteriosi in corpuscula penis nervosa influxum, à quo dependet ejus erectio. Hi enim musculi, dum retrahuntur, ab iis intumescentibus comprimitur vena, per dorsum penis excurrens, ut ita sanguis per arterias in corpora penis nervosa effusus, eadem distendens non possit refluere, sed & ita à musculis his alligatus penis attollitur, imò & semen spirituosum vesiculas seminales turgescere facit. Non raro etiam prorsus nullum semen effundi potest, ob carunculam urethræ infixam. Interdum etiam in coitu, agitato licet, & erecto membro virili, nullum tamen semen prosilit, quod tamen post, membro flaccescente, in somno etiam invitis effluit, teste *Zac. Lusitano Medic. princip. hist. c. 3. hist. 14. Sic Vesling. in Epist. & obs. à Bartholino editis, Epist. 88. p. m. 150*, similem habet historiam, & rationem ibi addit hanc, quòd hæc in defectu spirituum animalium, semen ad turgescentiam non imprægnantium, & post in laxitate, & flacciditate tàm vesicularum seminalium, quàm in specie musculorum penis sita sit. His enim ita constitutis, semen minus turgescens

per

per poros anguſtos, in pene erecto quodammdo compreſſos, non poteſt cum impetu ſolito excerni, & à muſculis protrudi, quin potius concidente pene, & poſt quaſi iterum recluſis iſtis meatibus ſemen aliquo modo turgidum ſpontè excidit. Interdum debitam ſuam figuram penis etiam non retinet, nec debito modo erigitur, ſed ob varia vitia, v. g. ob calculum &c. contortus exiſtit, quarum contorſionum rara exempla recenſet *Heinricus ab Heer in obſervationibus ſuis oppidò raris, obſerv. 7.* Item *Sennertus l. 3. praxeos part. 9. ſect. 1. cap. 9. p. 927.* Huc pertinet quoque conformationis quoddam vitium, quando vaſa ad generationem neceſſaria vel deficiunt, vel ſaltem non rectum, aut minus convenientem ſitum obtinent: quorum innumera exempla nobis recenſet Anatomia.

CAPUT III.

Præmiſſorum cauſas immediatas & mediatas exhibet.

Conſiſtit autem *immediata cauſa* ſterilitatis virilis ſive impeditæ flammæ vitalis continuationis (1.) in vitio teſtium, & inde ob vitiatum fermentum in læsâ ſeminis generatione. (2.) in depravata penis erectione, ſeminisque ejaculatione. Defectum ergò hunc ſeminis omne id cauſatur, quicquid hanc materiam ſeminis chyloſam abſumere poteſt, ſive ſit defectus alimentorum pinguium, optimè nutrientium, ſive vita nimis laborioſa, ſive vehementiores animi paſſiones, in ſpecie ira, ea omnia ſeminis materiam imminuunt. Sic etiam exercitia nimia, quatenus ſanguinis fermentationem magis citam & acriorem reddunt, hoc ipſo augent inſenſilem tranſpirationem, corpusque emaciant, & de nutrimento plurimum ſecum rapiunt extra corpus fuligines per poros exhalantes; quin & eo ipſo chyli aſſimilationem accelerant, & hinc materiam pro ſeminis generatione ſuffurantur. Hinc etiam eſt, quòd pingues & corpulenti non ſemper ſemine abundent, quia iſte chylus ſubdulcis nondum ſanguini aſſimilatus, in pinguedinem abit, unde non poteſt ſemini in materiam cedere; ſine Cerere enim & Baccho, ut vetus habet proverbium, friget Venus. *Vitiati fermenti* variæ etiam cauſæ

eſſe

esse possunt. Ita enim Veneris abusus præcipua, & princeps causa esse solet, sive nimis citò, sive in teneriori adhuc ætate adyta ejus adeas, sive nimis crebrò ejus sacra celebres, destrues, & hebetabis horum testium fermentum. Nam cum omne nimium naturæ inimicum sit, etiam à nimio Veneris abusu ista abhorret, sic enim à continua seminis elaboratione vis fermenti testium necessariò deficit, torpescit quasi, minusque volatile, aut activum permanet. Hinc tandem testes nimis flaccidi & laxi fiunt, eorumque tonus omninò destruitur, cùm à copioso & continuo materiæ transitu viæ tandem ita patulæ fiant, ut post nil legitimè ibi possit contineri, transire, vel generari. Unde à tali testium tono læso non rarò fit, ut apertis inde & sanguineis vasculis purus putus dein sanguis in complexu venereo loco seminis emittatur, imprimis quando cantharidum usus præcesserit, potenter enim stimulant, & vesicæ sunt noxiæ. Mox etiam totum corpus languescit, quò minus nefandæ, aut dolosæ voluptati indulgendum sit: hâc enim sæpius reiteratâ testes relaxantur, eorum fermentum debilitatur, vesiculæque seminales insigniter relaxantur. Videri de hâc meretur *Timæus à* Guldenklee / *in suis casibus*, qui talem refert, quendam justum exinde præmium deportasse, dum istâ contumacissimam gonorrhæam sibi contraxerit. Huc faciunt etiam ex rebus VI. non naturalibus, tanquam causis mediatis, aër frigidiusculus, qui ad hoc fermentum extinguendum multum confert. A frigore enim externo non solùm testes, sed & totum corpus refrigeratur & mutatur. Hinc *Salmuth. C. 3. obs. 91.* scribit, quòd nempe milites per flumina ducti, si aquâ testes eorum nimium refrigerentur, quòd isti hoc ipso effœminati reddantur. Sic etiam acetum, testibus applicatum, ebrietatem subitò discutit. Idem præstat nitrum, etiam cum succo sempervivi mistum, & scroto applicatum. Imò sempervivi succus cum nitro, & aceto eodem modo applicatus hæmorrhagiam narium, à nimiâ sanguinis effervescentiâ, à causâ internâ obortam, sedat. Unde & maniaci, vinculis jam constringendi, aliis irritis optimè curantur castratione, sic enim impetus furoris refringitur. Notabilem hujus rei historiam exhibet nobis *Riverius obs. 32. à Fournio communicatarum.* Alimenta autem acida huc faciunt omnia, ut & ea, quæ propria qualitate sterilitatem inducere dicuntur

cuntur, v. g. cannabis, agnus castus, mentha, succinata, nymphæa, ossa sepiæ, antimonium diaphoreticum, & quæ hujus generis sunt alia, semen cum appetitu venereo simul extinguentia. Motus etiam & quies, ut & somnus & vigiliæ, si in defectu, vel excessu peccent, sterilitaci ansam dare possunt. Animi quoque mœror & consternatio, ut & frequens nimis & illicitum Veneris exercitium symbolam suam conferunt. Huc accedunt etiam, secundum *Nobilissimum, Excellentissimum, atq; Experientissimum* D. BRUNONEM, *Patronum ac Præceptorem meum ætatem colendum in dogmat. Medicinæ general.* Medicamenta & Chirurgica præsidia, de quibus etiam quædam sunt monenda. Nimirum acida medicamenta omnia, sunt veneri inimica, quatenus destruunt volatilia spirituosa, sicque ipsum dictum testium fermentum de naturâ salinâ spirituosa participans; hinc est è contra, quod acria volatilia aromatica, & spirituosa venerem excitent, qualia sunt v. g. piperata, spiritus sanguinis galli, cantharides &c. Quòd autem acida venerem imminuant, confirmat historia ista notabilis, quam Ιατρικώτατος *Langius*, Prof. olim Lipsiens. celeberrimus, *in collegio suo in Joh. Petr. Fabrum MSS.* nobis communicatam reliquit. Hic enim observavit in quodam, cui ex nimio usu spiritus vitrioli ritè præparati, dum singulis diebus quatuor gutt. sumsit, pro appetitu acquirendo, testes ita sensim imminuti sunt, ut instar pisorum tandem redditi fuerint, cùm tamen aliàs magnitudinis justæ, & naturalis erant. Quod postquam dein monitus intermisit, & cibis benè nutrientibus iterum nutritus fuit, denuò naturalem magnitudinem genitalia requisiverunt. Steriles proinde hunc spiritum fugiant, latet enim anguis in herba, impotentiores enim eos reddit, malumque adauget. Hinc quoque est, quod nitrum, & ipso proprio spiritu acido turgidulum, impetus venereos cohibeat, semenque imminuat. Hujus notabile exemplum citatus refert *Timæus l. 3. casu 52.* scil. quendam musicum, qui nullo modo venere satiari poterat, ob semen præter naturam acrius redditum, tàm immoderatum fuisse, ut etiam per exigua horarum intervalla repetitis congressibus vix contentus esset. Hic tamen curatus tandem à dicto *Timæo* per diuturnum nitri, in aqua nymphææ soluti, usum. Propinavit scilicet istud bis in die, manè scilicet & vesperi,

 sicque

ſicque hujus uſum per 30. dies circiter continuavit, tàm felici ſucceſſu, ut adeò deferbuerit hic miſer, ut poſt etiam ſoli uxori demulcendæ vix ſufficeret. Mercurialia etiam, ſive mercurius vivus his quoque accenſeri debet: De hoc enim refert *Schenkius l. 4. obſ.* quendam ad pediculos pubis fugandos linimento mercuriali uſum eſſe, indeque factum, ut non tantùm ineptus ad venerem redditus, ſed etiam ſtimulus veneris ei ablatus fuerit; dein hoc ipſo omiſſo mercurio, & oleo ſpicæ aromatico adhibito, & pediculos necaſſe, & virtutem ſeminalem iterum recuperaſſe. Læſas autem nunc penis erectiones quod attinet, ex iis primò læſa ejus diſtenſio ſeſe nobis offert, quæ triplici ex causâ fit (1.) ſcilicet, quando muſculi ejus paralyſi laborant, aut alio affectu, contractionem impediente, ob nervorum ſpiritus ad animandas, & movendas has fibras afferentium vitia, quando v. g. ex equitatione nimiâ, ob compreſſos nimis muſculos nimiùm defatigantur, qualia exempla videri poſſunt apud *Fontanum. conſil. 2.* Sic caſus in dorſum, & os ſacrum, aut vicinas ejus partes, ut paralyſin aliorum locorum, ita & penis inferre ſolet. Exemplum habet *Hildanus C. 6. obſ. 59.* ubi exin omnis penis erectio ſublata fuit, permanente etiamnum forti ad venerem ſtimulo, quatenus nervi ad penem, ejusque muſculos tendentes, aut compreſſione aut laceratione, vel aliâ tandem ratione affecti fuére. Talem erigendi impotentiam, ob ſimiles cauſas à percuſſione capitis etiam abortam *c. l.* invenies. (2.) Etiam deficit penis erectio ob inopiam ſpirituum animalium, in iſtis muſculis ad intenſionem & erectionem neceſſariorum. Deficiunt autem ibi ſpiritus vel in genere, ex defectu eorum univerſali, ut fit in morbidis, languidis, aliisvé; vel in ſpecie ex ſpeciali in muſculis his, & pene, quando animus vel imiginatio circa aliud objectum occupantur, iſtos aliorſum avocant, vel in alias partes derivant, minusq; ad penem amittunt. Hâc ratione & pudor ſæpius erectionem penis impedit, aut eam factam denuò tollit, dum ſpiritum aliò ſcilicet deducunt. E contra meditatio, & animus pronus in res venereas ad promptiorem erectionem diſponit, quando ſpirituum iter eò dirigit. Ex nimio ergò pudore, eoque intempeſtivo ſubinde fit, ut noviter nupti ſe maleficiatos putent, cùm tamen reverà non ſint, & ex ſolo pudore membri erectio impediatur, quo tandem diſ-

cuſſo

cuſſo negotium dein alacrius ſuccedit. His quoque annumerandi ſunt ii, melancholiâ hypochondriaca qui laborant, hi enim ut aliàs variis phantaſmatis affliguntur, ita & non raró imaginatione propriâ decepti, impotentes ſeſe exiſtimant. Exempla ſuppeditant *cit. Salmuth. l. c. C. 2. obſerv. 78.* qui tales curato malo hypochondriaco curavit, ut ſpontè ad rem veneream dein regreſſi ſint. Adde etiam *Sylvaticum in C. 4. conſil. 4.* qui hanc deſcribit, quod penis quidem hic diſtendatur, ſed cùm ad opus deniq; propius accedant, flacceſcat. Huc revocandus quoque erit deficiens veneris ſtimulus, à ſemine deficiente obortus. Interdum ob faſcinum tantùm accidit *impotentia*, dum ſcilicet vulgò, uti fertur, ſub ipſo copulationis ſacerdotalis puncto per ligulam innumeris nodulis conſtrictam, per ſeram clauſam, aliisque ultra 50. etiam modis, non tutò ſemper propter abuſum revelandis, ita ſponſus à maleficis ligatur, ut poſt ſtimulante licet naturâ, & erigente etiam ſe membro, tamen cùm ſponsâ gaudia optata peragere nequeat, quin ubi propius acceſsū parat, ſubitò concidit penis, adeò, ut cum alia, quâcunque etiam, facilè, & optimè venerem exercere poſſit; ſi verò ad ſuam redit, ardentiſſimo quidem in illo flagrat ardore, mentula autem torpida mox cornua contrahit. Ligaturam autem hanc multi pro fictitia habent, inter quos etiam eſt *Wierus de præſtigiis Dæmonum*; item *Borellus C. 4. obſerv. 65.* exiſtimantque, quod perveniat tantùm ex animi affectibus, à nimio gaudio, pudore, metu, &c. aut ſolùm ex falsâ imaginatione, & hinc dependente ſpirituum animalium avocatione. Veriùs tamen contrarium aſſerit *Bartholinus C. 3. hiſt. Anat. VI.* Alii cum *Verulamio in ſylva ſylvarum*, *Helmontio & Marco Marci* hanc ligaturam, reliquosque ab incantationibus ortos affect9 ſoli imaginationi, ſive ideis, ut iſti loqui amant, ligantis adſcribunt. Retorquetur etiam penis vitio præputii, ſi hoc anguſtum nimis ſit, ut ob id glans commodè detegi, ſicque membrum rectè ſeſe extendere nequeat. An & aſtra per effluvia ſua corporea in ſteriles noſtros agant, eosque ad ſterilitatem diſponant, hîc quæritur? Sunt non pauci, qui affirmant, variis pervaſi experimentis. Sic enim *Digby de immortalitate animæ*, mediante ſpeculo combuſtorio radios ſolares in flamulam, & exin in pulverem rubrum ſubtiliſſimum concentravit, quo ipſo pulvere dein

Lunam in aurum perfectissimũ transmutare potuit. Ita alius Medicus Gallus radios lunæ plenæ per dictum speculum in materiam lactescentem, admodum frigidã, in spongia univit. Sed hæc cùm non sint hujus loci, meritò aliis ventilanda relinquimus.

CAPUT IV.

Signa diagnostica cum prognosticis recenset.

UTri autem conjugum causa sterilitatis insit, difficile est investigatu. Quæ enim alii cum urina avenæ, populo, vel lactucæ affundendâ, cum suffimigiis, vulvâ excipiendis, cum galbano, cum linimentis oculis inungendis, aliisque hîc instituunt, tanquam vana & ridicula rejicimus. Quid enim, amabo te, urina hic nobis indicare, vel continere potest, quod ad sterilitatem faciat? Rectius in omnium istorum signorum meliorem notititiam nos deducturæ sunt omnes istæ causæ, ob quas steriles fiunt, si in eas benè inquiremus: Primùm ergò quod seminis defectum attinet, res clara est, & imprimis ex relatione ægri patet. Ex defectu materiæ si oritur, ex alimentorum inopiâ ortus est iste defectus. ex vitæ genere, exercitiis, diæta, aliisque. Si vitio testium & fermenti vitiati adsit, tunc vel planè nullus vel exiguus admodum Veneris solet esse appetitus, corporis quædam gravitas, & pigrities adest. Fœcundum autem viri an sit semen, ex variis ejus attributis patet, scilicet quod crassum sit, spumosum, aliisque proprietatibus. Quando verò in coitu aliquid seminis emittitur, tenuius tamen, aquosius, minusque calidum, minus spumosum, aut minùs fervidũ percipitur, infœcundum erit. Quod si autem causæ præcesserint, quæ testes labefactare valuére, res erit clarior, suspicioque facilior. Non quidem lethalis seminis defectus est, sed molestus tantùm, ob non ritè persolvendum debitum maritale. In senibus planè incurabilis, ut & in iis, qui in juventute nimis strenuã veneri operam dedére, ob exhaustam flam̃am vitalem sive fermentum testiũ non facilè corrigendum. Defectus testium etiam per se patet, nullâque arte emendari potest. Penis erectio si sit ab inopia spirituũ, languor, & imbecillitas in corpore, ejusve actionibus aderunt: sin penis erigi nequeat, ab alio morbo causa dependebit, manebit flaccidum, & à nullo objecto

moveri,

moveri,aut in figuram debitam erigi poterit. Si in actu venereo spiritus aliô avocantur, variæ cogitationes & phantasmata nobis molesti erunt. Stimulus veneris deficiens ex ægri relatione patet. Ab incantatione autem si sit, homo ante ad venerem aptus fuit, suamque ardentissimè amat ante complexum, sed cùm opus aggredi cupit, odio sese habent, qui tamen deinde absentes raro amore se invicem iterum persequuntur, nunquam tamen coire possunt. Ad hæc maritus cum aliâ quâvis optimè coire potest, non æquè tamen cum suâ. Sterilitas tamen non tàm individuo nocet, quàm speciei conservationi & propagationi: nisi quod isti aliquando tabem, ex gonorrhæa natam, inducere valeat læsa seminis generatio. Cæterùm tales suprà recensiti, maleficiati &c. tamdiu infœcundi erunt, quamdiu debitè coire nequeunt. Ut autem tædiosa, & molesta hæc impedimenta removeantur, debitis, iisque expertis opus habemus remediis, de quibus nunc sit

CAPUT V.

Quod curationem annectit.

His ergò scopis ut satisfaciamus, omnis hæc curatio ad causas dirigenda, pro necessitate membra vel sunt roboranda, vel eorum temperies mutanda. Imprimis autem in semine augendo cautè procedamus, & nunquam sola stimulantia propinemus, sed semper sibi invicem maritata. Nam ubi venus stimulanda, ibi non aromaticis, venerem stimulantibus, seminique solam vim titillantem conciliantibus, dum suo sale volatili id acrius reddant, agendum, qualia sunt v. g. semen erucæ, sinapi, radices satyrionis, Zingiber viride condit. &c. sed etiam semen adaugentibus: aliàs sola stimulantia vix citra damnum ægri usurpantur. Talia autem semen provocantia sunt amygdalæ, pineæ, pistaceæ &c. Imprimis verò hîc laudantur *Succolata*, nam singulare hoc confortativum est, semenq; genitale auget, & spirituosius reddit. Huic succedit Lac, & omnia ex ea parata remedia. In specie convenit lac muliebre, ex ipsâ mamillâ haustum. De hoc enim refert *Forestus in obs.* quod aliquando juvenis phthisicus curatus fuerit per ejus usum, quod mane & vesperi ex conducta nutrice sugebat, unde factum, ut non tantùm ipse restitutus fuerit à tabe, sed

poſt etiam nutricem iterum imprægnaverit. Hoc enim lac mulierum ita in venerem armat, ut ei citra inſignem virium jacturam operam dare queamus. Præ cæteris hic vitella ovorũ, in vino generoſo pota conducunt: vel ovum crudum recens conquaſſatum, & ita bibitum; his ſi addes grana aliquot ambræ, cubebarum, aliorumq; aromaticorũ, in ſpecie ſpecies diatrionpipereon, ſingularis erit miſtura, quæ in venerem armabit, & ſemen augendo, & ſtimulando. Segnem hanc venerem mirè quoq; ſtimulant gallorum teſtes, de quo celeberrimum exemplum vide apud *Amatum Luſitanum.* Hinc ſunt quidam, qui farcimina ex criſtis, & dictis gallorum teſtibus facta, hoc in caſu mirum, quantum laudant. His etiam non cedit eorum [illegible]uis, indeque elicitus ſpiritus, mirè enim & hic ve[illegible], torpentemque vim ſeminalem reſtaurat. Non ſecus ac ſpiritus formicarum terreſtrium cum aromaticis miſtus [illegible] in aquâ magnanimitatis Laurenbergii, quæ & ipſa ad augendam vim ſeminis genetricem non parum confert. Hic quoque ſymbolum ſuum addit cervus, ſcilicet ſi ex eo colligatur ſanguis, tunc temporis, dum in venerem hiat, qui ipſe ſanguis celebre remedium eſt hoc in paſſu. Fuit Princeps quidam, qui ſanguinem, & teſticulos dicti cervi pro ſingulari arcano venereo habuit. Alii tamen potiùs commendant ejus priapum, dum in amore eſt exciſſum, hujus enim ſi ℥.j. in ovo ſorbili cum pauco vino generoſo ſuperbibito ſumpſeris, ſtrenuè in caſtris veneris pugnabis. Nonnulli cornuum raſuram, in coitu deraſam, mirè commendant in venere excitanda, quibus alias vis diaphoretica inſignis adſcribitur. De raſurâ cornu tauri idem alii promittunt. Secretum etiam hîc ſunt remedium teſticuli apri, & ex his tinctura parata, ſingularis enim eſt in ſterilitate tàm mulierum, quàm virorum, præſertim in horum impotentia. Singularia etiam hîc ſunt fella animalium, quæ potenter ſterilitatem emendant, cujus experimentum vide in *B. Theodori* SCHENCKII, *exerc. anatom. cap. de bile.* Pro arcenda quoque ſterilitate virorum, ſerpentes conveniunt, & viperæ, crebrius commeſtæ. Sic de Duce quodam fertur ipſum gallos, ſerpentibus cibatos, ſæpius pro alimentis aſſumpſiſſe, indeque fœcundum fuiſſe redditum. Ex formicis etiam balneum parari poteſt, cui nullum par in ſterilitate ferè datur remedium. De ambrâ notum,

quòd

quod ſpiritus reficiendo, quocunque etiam modo uſurpata, venerem inſigniter ſtimulet. Sive uſurpes eſſentiam ejus, cum ſpiritu roſarum ambrato paratam, ſive glandem eâ inunges. Voluptatem enim veneris majorem ſic experiuntur fœminę, gratiorq; fit amplexus. Mirè enim ab his ſuaveolentibus afficitur uterus, cavendum tamē, ne ſuaveolentia hęc ad nares pertingant, miſerasq; miſerè exerceant. Notum etiam eſt de iſtâ ſpecie Satyrionis, *Cynoſorchis* dictâ, quòd duos bulbos alternatim nunc turgidos, nunc flaccidos habeat. Ex quibus turgidus inſigniter ſemen augere & ſtimulare, flaccidus verò Venerem imminuere dicitur. Hinc ex turgido fit *eſſentia ſatyrionis D. Michaëlis*, *Crollii*, aliorumque, quæ egregiè hic ſuam præſtant operam, eoque majorem ſi miſceantur cum dicta *magnaminitatis aqua*, ſpiritu formicarum, ſimulque aliquæ guttæ de ſpiritu ſanguinis galli addantur. Eryngii virtutes venereas ſingulares deſcribit *Foreſtus lib. 26. obſ. 18*. Singularis enim hæc eſt planta in ſtimulanda venere, virtuteq; genitali & roboranda, & excitanda, unde & Mannstreu dici meretur. Præprimis autem hic conveniunt ſale volatili acri abundantia, quo fermentum teſtium acuere poſſint, qualia ſunt aromata omnia, item caſtoreum &c. His ſuccedit *lingua avis*, *ſemen aniſi*, *naſturtii*, & plurima alia. Facit huc quoque *Electuarium ad coitum Ducis à Wallenſtein*, item *morſuli venerei Pappenheimii*, *B. Doctoris Michaëlis*, *& Mynſichti.* Paſſerum quoque & ſanguis, & cerebrum in actu venereo transfoſſorum fuere quoq; ſtimulus venereus dicti Comitis à Pappenheim. Non minores vires edit Borrax, ſaccharo permiſtus, & cum pomo aſſato aſſumtus. Singulare etiam eſt *Electuarium Rulandi* in multis citato autori expertum, & ſimilia à Practicis propoſita, quæ huc transferre non placuit. Externa quædam teſtibus etiam ſunt applicanda: imprimis balſamus apoplecticus, ſcroto inungendus. Convenit etiam ſpiritus formicarum; vel fiat ſequens linimentum, quod ℞.

Zibethi gr. vij.
Moſchi gr. vj.
Ambræ gr. v.
Ol. deſtill. cariophil. gtt. viij.
ſpicæ gtt. vj.

Ol. NM. expreſſ. q. ſ. ad incorporationem omnium, f. linimentum, teſtibus il-nendum.

(2.) Ad contractionem penis externè balnea, & unctiones, ad paralyſin aliàs uſitatæ, inſtituantur. Vel bulliant cubebæ in vino generoſo, & applicentur teſtibus & locis vicinis, ut & cinanomum, in vino maceratum, egregiè conducit. Teſtes, ut & ipſum membrum inungantur cum ſucco ex ovis formicarum expreſſo, cui parum Zebethi addatur. Loco hujus cum dicto ſucco ol. de Caſtoreo, & ol. de piperibus, in ſpecie ol. deſtill. caryophyllorum permiſceatur, & ita partes blandè fovendæ ſunt, & inungendæ. Aliàs in uſu ſunt ol. coſti, macis, euphorbii. Balſamus venereus *Minſichti* egregius eſt, facit enim ad erectionem, & ad voluptatem perinæo, & radici penis inunctus: huic ſi addas oleum formicarum, præſtantior erit. Balſamum apoplecticum *D. Mœbii, Michaëlis* ad uſum hunc quoq; ſunt vocanda, ſuaveolentiâ enim utriusque ſexus voluptatem adauget. Singulariſſimum etiam eſt, ſi pulv. rad. pyrethri miſceatur cum pinguedine coturnicis, eoque membrum inungatur, validam enim procurat arietationem. Elegans quoque hic eſt eſſentia, ſeu tinctura Caſtorii *D. Mœbii*, omniaque quæ ex formicis ſunt parata. (3.) Si malum à deficiente veneris ſtimulo ſit, vel à ſpiritibus, aliorſum avocatis, uti fit in hypochondriacis, aliisque, optimum remedium erunt plagæ, natibus infligendæ, quarum magnus uſus ad labeſcentem venerem, de quo elegans iſte tractatulus *Meibomii de uſu flagrorum in re venerea cum notis Bartholini*, videatur; ubi recenſet exemplum cujusdam, qui cum ſua conſueſcere nõ poterat, niſi prius ab iſta virgis oppidò bene cæderetur, & quo magis iſta eum cæderet, eò magis ſe ſtrenuum bellatorem exhibebat. Poſſet etiam in his hypochondriacis cõtra phantaſmata, periculũ fieri, cum iſto *Bartholeti in tr. de reſpiratione* pharmaco phantaſtico, ex ſemine Daturæ, cujus vi narcoticâ imaginationẽ, ſeu, ut alii volunt, ideas morboſas hominis pro lubitu, ad cõtrarium certum objectum per certa ſpecifica, ſuæ intentioni reſpondentia, derivat, ut nempe hoc vel illud cogitet, v. g. huic noſtro melancholico, qui impotentem falsò ſe eſſe credit, adderet dicto pharmaco phan-

co suo phantastico venerem stimulantia, quæ sc. contrarias ideas, seu phantasiam ei imprimere valerent. Quod si verò (4.) ab incantatione malum sit, dentur primò vomitoria, quæ in tali casu à Practicis valdè commendantur. Hinc dentur morbo specifica. Ex his *Helmontius* succum betulinum, quem sauciati rami plorant, mictumque per scopas betulinas *in tract. de Lithiasi c. 8. §. 35.* non satis nobis laudare potest; experimentumque hic mictus quoq; est *Carichteri*, Botanici & Practici his in morbis exercitatissimi. Citatus etiã *Helmont. loc. cit.* potum cerevisiæ betulinæ sponsis fascinatis, tanquam experimentum commendat. Aliàs *Hartmanni* indubitatum præsidium, & aliquoties, ut novi, probatum, est lotio pudendorum utriusq; sexus cum decocto aquilegiæ. Hoc facto fiat suffitus ex dente hominis mortui super carbones projecto, membro læso excipiendus. Qui sequenti fiat modo : ℞. dentes hominis demortui *num. iij.* (pro viro, ex capite viri demortui, & muliere, pro mulieribus,) minutim pulverisentur, hincq; ℞. duo lateres novi, qui candefacti per crucem disponantur in urnam, hinc affundatur spiritus vini Rhenani optimus, & super imponatur pulvis istorum dentium, fumusq; membro incantato tamdiu excipiatur, donec incipiat sudare, sudor cum linteo deorsum versus abstergatur, quo facto membrum inungatur asá fœtidâ, hinc involvatur linteo & in lectum æger sese componat. Quidam dictis his corallia, item viscum quercinum, hypericum, herbam & semen anthirrini addunt, quorum compositionem videre potes *in Gansio de coralliis*. Repetitus hic pulvis sæpius probatus fuit in ligaturis virorum. Mercurius vivus in nuce avellana inclusus, colloque ita appensus, præservativum certum creditur, ne ligentur in copula Sacerdotali. Certior tamen est sacculus *D. Michaëlis*, appendendus antequam ad dictam copulam, sponsus & sponsa sese conferant. Aliis expertum etiam aliquando fuit, si quis emat lucium piscem masculum, eique per vim os aperiat, urinamque propriam immittat, hinc lucium vivum fluvio iterum committat, contra ejus cursum, dicentibus, subitò tunc evanescere malum, nisi jam inveteratum sit. Probatum quoque est, ut sponsus ante copulationem, aut post eam per annulum sponsalitium mingat; Quo

irrito ℞. rasuram ejusdem annuli ex vino, quod singulare in hoc casu est. Aliàs tanquam secretum habetur rasura campanæ, ex eo scilicet loco derasa, ubi pistillum eam ferit, misceatur cum pauco croco, & pauco pulvere priapi cervini, & ita internè sumitur. Item urina, si per annulum cujusdam lapidis sepulchralis mittatur in cæmitorio, prodesse creditur, quidamque aliquando consilio cujusdam vetulæ ab incantatione hoc ipso curatus fuit. Quidam recipiunt ovum recens, coquunt cum urina propria, ad absumtionem medietatis, quo facto, urinam superstitem in flumen, secundum ejus cursum, effundunt, ovum verò in formicarum catervum ponunt, quo absumto à formicis solutum etiam erit fascinum. Alii laudant abrotanum, momordicam, plantaginem acutam, sorbumque, origanum, antirrhinum, adiantum, radicem cavam, sereno die, & in optimo flore collecta. His non ignobiliora sunt viscum colurnum, lignum quercinum, herba passionis Christi, ricinus &c. Specifica etiam sunt secundina primiparæ, calculus humanus, spiritus sambuci, tinctura coralliorum parata cum essentia hyperici, tinctura hyperici *Mynsichti*, & pulvis coralliorum. Expertum etiam est linimentum ex visco colurno &c. quod nobis describit *Henricus ab Heer loc. cit.* Stercus proprium loco dolenti impositum, vel solum, vel cum allio in vesica in fumo suspensum, mirè torquet maleficas; efficit enim, quòd veneficæ omnia assumta stercus humanum, vel urinam sapiant, ita ut necesse habeant veneficium solvere. Plura ejusmodi sordida, hîc non addimus, præsertim quia præstantiora horum specifica, magno cuidam Medico Practico olim expertissima, jam recensuimus, licet nonnulla superstitione vix careant, fortè omittenda & proscribenda. Qui verò cupit, autores, qui de incantationibus scripserunt, consulat, imprimis *Carichterum*, qui de his omnium optimè scripsit, *in tr.* von zauberischen Schäden. De contorsionum penis curatione nunc (5.) pauca addo. In hac igitur si præputium angustum sit, sola sectione chirurgica, facili tamen, nec dolorosâ curatur, unicâ scilicet incisurâ incidendum est, interdum etiam per crucem. Vitetur tamen vena pudendi, seu vas præputium undique ambiens; cura hæc sine ullo erit periculo. His medicamentis exacta respondeat Diæta, quam brevis-

breviſſimis annectimus. Aër eligatur temperatus. Alimenta aſſumantur optimi ſucci & alimenti, v.g. triticum, oryza &c. quæ ad ſemen generandum, & ſtimulandum faciunt. Galli etiam, imprimis eorum teſticuli, paſſeres, columbæ, præſertim harum pulli, carnes animalium, mediâ ætate adhuc gaudentium, ac ſucco nutritio, præ cæteris abundantium comedantur: fumo indurata ob paucum nutrimentum reſiduum rejiciantur. Illis quoaddantur ſalia volatilia, præprimis oleoſa, inter prandendum & cænandum ſimul aſſumenda. Pro potu eligatur liquor generoſus. Quies & motus modum non excedant. Somnus longior, & in mollibus lectis; animus à curis gravioribus liber ſit. Vigiliæ ne ſint nimiæ, & ut alvus ſuum officium faciat, quotidie ſeriò procuret, omnesque tandem affectus vehementiores angue pejus fugiat æger. Et tantum de ſterilitate virorum. Sequitur nunc

SECTIO II.

De Seterilitate Muliebri.

CAPUT I.

Præmiſſâ definitione ſubjectum ejus juxta veteres & neotericos examinat.

DEſcribimus autem eandem, quod ſit: *Impedita flammæ vitalis ex traductione concipiendæ continuatio, dependens à ſpirituum genitalium inflammandorum defectu, vel vitio partium genitalium muliebrium culpam ſequente.* Subjectum autem ſterilitatis muliebris communiter juxta veteres ponitur *uterus*, hîc enim niſi ritè ſit conſtitutus, cum ſibi adjunctis partibus, ſterilitatem adeſſe dicunt. Imprimis rectè ſe habere debent *tubæ uteri* pro ſubjecto ſterilitatis à recentioribus traditæ. Hæ enim elaboratius ſemen inflammabile continentes, niſi benè conſtitutæ ſint, conceptionem impediunt, ut rectè docet *Spectatiſſimus* DN. DECANUS, *Nobiliſſimus, Excellentiſſimus, atq; Experientiſſimus* DN.D. MAUR. HOFFMANNUS, Præceptor atque Promotor meus honorandus, *in Synopſi Inſtit. Anatom. diſp. 9. theſ. 4.*

Nonnulli tamen conceptionem in tubis non ſemper fieri ſtatuunt, ſed tantùm interdum, aut extraordinariè, frequentius autem in brutis, vocantq; tunc *conceptionem tubarum*, de qua videatur *Elshholzius de concept. tubar.* item *Ephemerides collegii curioſi Regii Anglici.* Anatomici verò moderni heri & nudi, tertius aliud ſubjectum ſteriliratis ponunt, ſingularemque hic fovent opinionem, & *Ova muliebria* ſterilitatis ſubjectum eſſe volunt. Laudanda enim induſtria *Stenonis*, qui ova hæc muliebria primùm nobis detexit, quem plurimi ſecuti ſunt alii, imprimis *Joh.* van Horn / *Anatom. Leydenſis in prodromo obſerv. de part. genital. mulier. edendarum; Kerckerinigius in Anthropogenia; Swammerdam. in nuper edita partium genitalium tabula, & Regnerus de Graaf in tract. de mulier. organ. generationi inſervientibus.* Hi citati autores teſtes muliebres *Ovarium* eſſe oſtendũt, ſimilemq; præſtare uſum atque ovarium oviparis. Avtopſia ſcilicet iis detexit ſubſtantiam horum teſtium coagmentatam eſſe ex quamplurimis veſiculis, quarum quælibet peculiarem ſuam habet tunicam, neque cum alia cohæret, & repleta humore lacteo, ita, ut iſtæ veſiculæ ſint quaſi ovula in teſtibus contenta, humore ſcatentia, quas veſiculas *Veſalius* jam olim nobis deſcripſit. Hæc ovula in aquam ferventem ſi injeceris, in forma albuminis ovi in aqua fervente cocti videbis, uti in anatomia publica *Excellentiſſ. Dn. D. Bohn Lipſiæ, & Illuſtris Sylvius cum citato Graafio Lugduni Batavorum* in noſocomio ad oculum nobis demonſtravere. Tale ergò Ovulum in coitu in uterum, vel tubam tantùm delapsũ à ſpiritu genitali attactu, afflatu, aut contagio ſpirituoſo fœcundatur, non ſecus ac à ſpiritu genitalis galli ova gallinæ fœcundantur. Perfecta autẽ hæc ſunt ova, licet vitello careant: Fœtus enim viviparorũ cùm nutriantur in utero per placentã, quid, quæſo, opus erit vitello? Conſentit etiam cum hiſce *Barthol. centur. 1. hiſtor. anatom. 92.* Horum autem ovulorum, ſi duo imprægnantur, fiunt gemelli, ſi plura, plures fiunt fœtus, ſi unum poſt alterum fœcundatur, fit ſuperfœtatio. Proſtant etiam aliquot exempla mulierum, ova parientium. Ejusmodi nobis recenſet *Barthol. loc. cit.* Obſervatum etiam eſt, gallinam quandam ova intra ſe foviſſe, & loco ovorum pullos vivos *num VI.* una vicè excluſiſſe, utut hoc ipſum cum morte gallinæ matris conjunctum fuerit,

rit, videantur, *observ. Bartholini Cultro Anatom. Lyseri annexæ* Videntur ergò omnia ex ovo esse, exque eo omnia generari. Hinc *Marc. Marci in tract. de Ideis operatricibus* inquit: *Subtilius rem pensitando, videbitur non minus plantarum, quam animalium genus ex ovo nasci, cùm non minus in plantarum semine distinguere liceat partes, albumini & vitello, aut etiam grandini analogas: siquidem neq; in omnium animalium ovis inest differentia albi, & lutei*; Ita rectè à *Rællio* de Generat. *sect. 5. p. 75.* semina plantarum sui generis *Ova* dicuntur. Idem fit in piscibus oviparis, istud enim, quod nostri **den Rogen** appellant, nihil aliud est, quàm ovulorum congeries. Hæc ova materiam seminis muliebris continere, ipsæ fœminæ, ejus emissionem persentientes, testantur: & ulterius probari posset, hoc semen iis inesse, ex furore uterino, nimiam seminis retentionem insequente: ut nihil addam de symptomatibus nimiam seminis excretionem insequentibus, similibus virorum affectibus, videatur *Velthusius de Generat.* item *Deusingius de Genesi microcosmi pag. 15. & seqq.* Plura de his omnibus *vid. apud cit. Graafium loc. cit.* Spinosa autem hæc est Recentiorum doctrina, plurimisque controversiis adhuc scatet, v. g. de viis, & quæ sunt aliæ, quas omnes *citatus Graafius, lib. cit.* removere conatur. Hæc igitur significasse de his *ovulis* sufficiant, & cum nova adhuc sint, frequentiori, & repetitâ subinde Anatome confirmanda erunt. Nobis interim hæc posterior sententia admodum probabilis videtur, cùm quoad ovorum existentiam res certa sit. Nihilominus sit, hæc omnia relinquo in medio, tanquam nova, nondumque ab omnibus recepta.

CAPUT II.

In Causas inquirit immediatas & mediatas.

HUjus sterilitatis muliebris causæ tantùm non sunt innumeræ, & subinde inperscrutabiles. Ex parte viri quæ accidant mulieri, jam supra *in sect. 1.* sufficienter proposuimus. Ratione fœminæ verò fit sterilitas, si semen seu dicta hæc recentiorum *ovula* ob partium genitaliũ cõformationis vitiũ ritè excerni nequeant; vel si ob clausuram uteri, vaginæ, ob ulcus, vel colli ejusdem angustiam,

ſtiam, vel ob tenellam conſtitutionem, ob excedentem craſſitiem membri, aut planè non, aut ęgrè recipiat, ſicque concubitum averſetur. Oritur etiam, ſi ob tumores, excreſcentias, aliaque virum admittere nequeat. Requiritur etiam mutua fæminæ cum viro proportio, & ſeminum ſimilitudo. Steriles etiam fiunt, ſi ſpiritum genitalẽ ob uterum vel frigidum, aut humidum, vel calidiorem, vel menſium fluxum, & ſimilia non retinent, licet bonum & fœcundum & moderatum, nec paucum. Hinc fœminæ craſſæ ob defectum ſeminis plerumque ſunt ſteriles: Materia enim quæ ad teſtes pro conficiendo ſemine adferri debebat, in nutrimentum corporis cedit, indeque ſeminis defectus. Copioſius ſi ejaculetur ſemen, & hoc cauſa ſterilitatis eſſe poteſt, à frequentiori enim ejus effuſione, teſtium, reliquarumque partium genitalium tonus læditur, ſterilesque exin fiunt mulieres, ob læſum nempe uteri tonum, & internum ejus orificium nimis patulum, quod ſatis ſuperque meretrices teſtantur. Hæ enim dum quotidiè variis corpora ſua venalia exponunt, ob tàm varium receptum ſemen, indeque uteri læſum tonum ſteriles fiunt, cùm nullum ſpiritum genitalem vaſa amplius in ſe recipiant. Huc pertinet etiam ſemen nimis copioſum, dum temperamentum uteri mirè im̃utat. Hujus rei ſtupendum exemplum nobis dat in aurea ſua *M.M. Clariſſ.* CHRIST. HOFFMANNUS, *Practicus Hallenſis feliciſſ.* Ιατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, de mœcho quodam ſtrenuo, qui tantã ſeminis copiam excrevit, ut iſtam ſcortum excipere non potuerit, ſed maximam ejus copiam in ſuppoſitum quoddam vaſculum excipere coactum fuerit. Præterea uxor juſtæ ſit ætatis, neq; adultioris, neq; tenerioris. Ab his cauſis dependet etiam ſterilitas iſta, quæ ad tempus tantùm durat, & rarus conceptus, utut hic poſterior ab àliis aliarum partium morbis, vel à vitiato in partu difficili utero etiam provenire poſſit. Recentiores hic ſine dubio accuſarent iſta *ova* deficientia, vel potius *ovarium & oviductum* obſtructa dicerent. Hoc vitium etiam poteſt eſſe ex parte utriusque vel abſolutè, vel reſpectivè, dum mas cum hac fœmina generare nequeat, qui tamen cum alia optimè generat. Hæc autem certa proportio & harmonia qualis eſſe debeat, in quo conſiſtat, & quomodo fiat, nullus explicat, de ea licet omnes unanimiter conſentiant, & clamitent. In ſexu

autem fœminino magis, quàm in masculino latere, ex eo patet, quod vitium in viro primarium sit unicum, in semine scilicet positum, quod vitiatum generationi ineptum est; nam membri vitia pleraque aut parum obsunt, aut facilè à Medico corriguntur. Hoc infœcundum semen in viris facillimè ex coitu cognoscitur, qui si languidus, aut diutius cum tædio protractus sit, minus spirituosum semen, obque id defectum esse, innuit. Fœminæ contra, quæ hoc recipere, fovere, suumque symbolum hîc conferre debent, oppidò pluribus, & multivariis vitiis, testium scilicet, *Oviductûs*, seu tubæ, vaginæ uteri, & reliquarum harum partium, imò totius corporis laborare, & per consequens conceptionem impedire possunt, utut maritus per se optimè sese habeat. Alia autem sterilitas accidit à vitio naturali, quæ corrigi non potest. Alia verò oritur à defectu materiæ seminalis, vel *ovulorum*, aut non genitorum, aut in uterum propter obstructos *oviductus*, non rejectorum, vel ad conceptionem ineptorum. Materia enim chylosa his si deficiat, nulla *ova uterina* progignuntur. Hinc nutrices lactantes rarius concipiunt, aut conceptum rarò retinent : macræ etiam & aridiores ob eandem causam minùs fœcundæ sunt, ut & nimis pingues, & excessivè tales, cùm materia pro elaborandis his dictis *ovulis* in supplementum pinguedinis abeat. Huc pertinent quædam medicamenta, quæ vi specifica sterilitatem producunt, v.g. mentha crispa, sabina, lingua cervina crispa, omniavé purgantia, præsertim Euphorbium, de quo singularem observationem vide *in observat. ab Heers, in observ. suis oppidò raris*: Reliqua propter metuendum abusum his addere supersedeo. *Fontanellæ* etiam uberius si fluant, aut ulcera inveterata, aut fistulæ nimis largæ si sint, cùm massam sanguineam insigniter exhauriant, inter causas sterilitatis recenseri merentur. Denique uteri membranosi vitiata constitutio, nimis scilicet laxa, & flaccida, & ejus imprimis orificium internum nimis patulum insigniter ad sterilitatem disponit, quod videmus in mulieribus cachecticis, fluore albo, aut hæmorrhagiâ uteri nimiâ laborantibus. In his enim dum ab excrementis pituitosis, & serosis uterus frigidus & humidus evadit, sterilescunt. Motus & quies excedentes conceptionem etiam impediunt; somnus & vigiliæ non rite

institutæ, spiritus dissipant, & sanguinem humoribus vitiosis implendo, nocent; menses suppressi, infœcundæ ut sint mulieres, in causa sunt, deque reliquis excernendis idem intelligendum esse volumus. Moderata tamen hæc sint, debitoque tempore, & loco instituenda. Cautus ergò hic sit Medicus, præsertim in instituenda venæsectione, ne quibusdam venis sectis malum adaugeat, sed Venerem & animi pathemata nimia, & frequentia fugienda esse, amicè moneat.

CAPUT III.

Signa perlustrat.

AN vitium à mare, vel fœmina dependeat, an verò fœmina absolutè, an verò tantummodò respectivè sterilis sit, à posteriori perscrutari ferè videtur impossibile. Utriusque igitur conjugis natura consideranda, deque marita inquirendum, an in venerem prona sit, an semen in coitu excernat; aut, si hoc deficiat, an istud medicamentis ipsa imminuerit, an menstrua rectè se habeant, reliquavé ex ipsius ægræ relatione cognoscenda. Malum autem hoc, si à causis manifestis dependet, prognosis facilè institui potest; si verò lateat, & ignota sit utriusque sexus proportio, ibi cautus sit medicus in prognosi, ne ludibrio hominum sese exponat, aut rixas excitet, amoremque conjugum turbet, in tali enim casu nil certi affirmare præstat.

CAPUT IV.

Cum curatione concludit.

PRæmissis, ubi opus, præmittendis, instituatur venæsectio, si scilicet à sanguinis copiâ sterilitas proveniat, vel obstructione &c. Hujus vicariæ possunt esse cucurbitulæ, hirudines, aliaque. His præsidiis chirurgicis subjungenda ea, quæ supra in *sect. 1. c. 5.* ad stimulandam venerem viris commendavimus. Hinc danda ea, quæ per experientiam contra sterilitatem experta sunt, habitâ tamen simul ratione constitutionis, & craseos subjecti propriæ, imprimis videndum, an macra, an pinguis, an sana, an verò cachectica sit mulier. Præprimis ineatur cura, circa

tempus

tempus mensium, ita quidem, ut ante menses præmittantur universalia, totum corpus respicientia. His verò remittentibus, continuentur specifica utero appropriata, & eundem vulgò dicta roborantia, tàm externa quàm interna. Inter hæc facilè princeps est lignum *sassafras*, quod singulariter ad sterilitatem Practici commendant, in specie, si ad cachexiam inclinet mulier, aut sanguine nimis seroso turgeat. Hinc ex eo vina medicata, quæ *Hoeferus in Hercul. Med.* laudat, vel decocta, aut essentiæ fieri possunt, quæ egregiè hîc proderunt. Hujus dicti ligni, essentiam, aut tincturam, si acues cum aromaticis, multi usus erit in sterilitate hac, vel à vitio seminis; vel uteri squalidi aborta. Tinctura coralliorum sassafrata egregiè etiam hic est usus. *Hartmannus* tanquam experimentum commendat, salem satyrionis, si à ℈ ß. ad ℈ j. in aqua vitæ mulierum alba, vel vino malvatico sumatur; sed aliud sibi proprium, expertissimumque reticet, quod fuêre testiculi cervæ, ex quibus paravit suam essentiam contra sterilitatem, singularissimam hoc in casu. A multis, tàm specificè internè, quàm externè commendatur Rosmarinus, imprimis si in balneis & fomentis uterinis usurpetur. Sic etiam hujus decoctum tanquam expertum laudat *Lindanus in colleg. super Hartmanni prax. Chymiatr. MSS.* dicens: *Si sterilitas est à nimia caliditate, & siccitate sanguinis, hæc usu lactis optimè corrigitur, si verò à nimia frigiditate, & humiditate, non melius, quàm per rorem marinum curari potest.* Testiculi apri, eorumque tinctura ad sterilitatem, & impotentiã singularissima sunt: Prodest etiam sanguis ex cervo, dum in venerem hiat, collectus, huic calido adhuc admisce tragacanth. ℥ ij. NM. cariophyllor. cinam. ana ℥ß. camph. mosch. ambr. an. ℈j. hæc invicem in s. q. sanguinis calidi misc. & exinde formentur globuli, qui exsiccati, & in manu dextra detenti potenter ad venerem stimulant. Hujus cervi etiam priapus justo tempore exscisus, pulverisatus, & *cum vino testibus* inunctus, egregius est. Spiritus secundinæ primiparæ, illius scilicet, quæ filium enixa est, hic singularis est. Uterus leporis, cervæ, ut & testiculi pulverisati ad impediendam sterilitatem, tanquam egregia commendantur, in specie fiat essentia ex secundinâ mulieris fœcundæ, & cum hisce dictis uteris, contra sterilitatem mulierum detur. Formicæ

egregium quoque hic dant remedium, imprimis earum ſpiritus, & eſſentia uterina, additis aliis appropriatis, egregiè hic confert. Sic etiam oleum formicarum volantium externè utero illitum ad conceptionem diſponit, non minus, quàm balnea, poſt menſium fluxum reiteranda, cui integrum harum cubile ſit incoctum, quod ipſum mirè laudat *Conradus Conrad in Medull. deſtillat.* ubi de formicis egregia invenies. Hinc & ſpiritus formicarum, vel cum hoc parata eſſentia teſticulorum cervæ, poſt menſium fluxum uſurpata, & continuata, non erunt contemnenda. Quidam ceu efficax electuarium ex priapo tauri, & cervi cum floribus ſtæchad. arab. & melle laudant, cui convenientiſſimè ex formicis facta remedia addi, aut his ipſis largiter irrorari poſſunt. Refert *Helidæus Paduanus in obſerv.* ex uſu brodii, in quo carnes viperinæ decoctæ erant, cum columba juvene, mulierem quandam leproſam ita convaluiſſe, ut exinde, cùm jam quadragenaria eſſet, & aliàs ſemper ſterilis, & ſanata, & fœcunda reddita fuerit. In ſpecie autem viperarum ſal volatile hîc conveniet. Sunt etiam, qui pulverem ſecundinæ humanæ ad ʒ j. ſumtæ, hîc inſigniter laudant: Alii umbilicum infantis ſpontè decidentem, exſiccatum, & pulveriſatum cibis admiſcent, de quo *vid. Sylvat. in conſil. & reſponſ. Med. cent. 4. conſil. 44. p. m. 528.* Non inconveniens etiam hîc erit baccar. chermes. earumque confectio tàm celebris, ut & magiſterium *Zwelferi* quod *vid. ap. cit. autorem pharm. Reg. p. 179.* Inter externa imprimis utilia erunt balnea, ad quæ tanquam ad ſacram anchoram hîc confugient ægræ noſtræ, in ſpecie thermæ, & earum uſus frequentatus, ſive naturalium ſive artificialium, ſæpe commodus obſervatus eſt; imprimis tamen hæ locum habent, ubi uterus copioſis ſordibus ſcatet, has enim ipſas virtute ſuâ medicamentosâ tollunt, uterumque confortant. Vel loco harum fiunt ſuffitus, ſinu muliebri excipiendi, ex appropriatis ſuaveolentibus, v. g, ex thure, gummi juniperino, ſuccino, benzoë, maſtige &c. poſt hos applicentur peſſi ex foliis matricariæ & mercurialis contuſis, & pauco oleo ſpicæ irroratis, qui peſſi poſt ſuffitum veſpertinum applicati, per noctem retineantur. Quidam, poſt balnea, & ſuffitus, regionem uteri & pectinis inungunt cum oleo cheyrin. NM. deſtillat. majoran, cariophyll. zybeth. &c.

vel

vel sacculum ex appropriatis ventri imponunt. Tandem applicetur emplastrum perineo, & lumbis ex mastiche, cum gummi tacamahaca, &c. alutæ superinducendum, supraque uncturam imponendum. Uterus relaxatus adstringentibus corrigendus, v. g. rad. symph. bistortæ, foliis alchym. millefolii, pyrolæ, ossiculis mespilorum &c. Si ex nimia obesitate orta sterilitas, conducent *Mynsichti* pilulæ contra sterilitatem, *ejusq. & Hartmanni* species huic oppositæ. Per magnetismum potest quoque hoc malum nostrum curari, dum scilicet magnes mumia, id est, spiritu vitali è corpore certo modo extracto, impraegnatus miscetur cum terrâ pingui, in quam semen plantæ, morbo appropriatæ, seminatur, & loturâ membri affecti totius corporis subindè irrigatur, unde postmodum, quantum planta propullulans accrescit, in tantum morbus decrescit; quodsi mumia impraegnans magnetem non sit ægra, sed sana, planta impraegnabitur spiritu vitali ejus, cujus fuit mumia, quo ipso singularia secreta fieri possunt, in specie philtra naturalia, quorum exempla quædam vide *apud Turnheiserum* in suo herbario, sub *Meo*, &c. Probè tamen observandum, quòd eligendæ sint herbæ proposito aptæ, cum una quævis planta peculiares habeat dotes, & alio modo operetur spiritus in hac, alio in aliâ. Quô modô ergò per dictam transplantationem sterilitas nostra corrigi possit, vide apud *Tencelium in Med. Diastat.* Aliàs de hâc videri merentur præprimis *Samuel Boulton in Med. Medico Magica, tamen Physica: Barthol. Cent. 3. hist. 66. & Cent. 6. histor. 53. Rhumelius, Riverius Cent. 3. obs. 7. Borellus Cent. 3. obs. 46.* præprimis verò *Helmont. tr. de magnetica vulnerum curatione*, & plures alii. Reliqua quæ huc pertinent, jam recensuimus in sect. 1. præsertim cap. 5. quæ si non gravaberis, hisce poteris addere. *Diætam* denique quod attinet, aërem temperatum eligat, qui nec nimis calidus, nec nimis frigidus sit. Cibum, & potum eligat benè nutrientem, spirituosum, & laudabile semen suppeditantem, eumque temperatum. Glacie refrigeratum potum aversetur, calidumque non appetat. In somno, & vigiliis medium quæ tenuêre, beatæ hic erunt. Motum violentum, quia spiritus dissipat, fugiat, ut & quietem excedentem. Hisce præmissis usurpandis, omnibusque impedimentis è medio sublatis, desiderium suum tandem ex-


pleat: nunquam verò huc accedat, nisi mutuô, summoque ardore ardeant; Quem variis blanditiis, aliisvé sibi conciliare poterunt: quô enim ardentiore ardebunt, eò felicius res cedet. Præsertim & hoc vitent, ne inviti quid faciant, aliàs vel irritus erit congressus, vel ejusmodi passionibus obnoxius erit fœtus exinde procreandus. Curæ, ira, aliique animi affectus, hîc exulent omnes, ne ab hoc opere animum distrahant. Quibus peractis, quietæ sint, nec statim ab opere recedant. Et hæc sunt, quæ tibi B. L. de Sterilitate nunc dare potuimus, si fortassis non omnia ad palatum tuum dicta erunt, facilem tamen veniam nobis à Te pollicemur. *Sinamus* enim, *quemq; sibi scribere*, nobis verò hæc placuere, cùm affectus mulierum sint curatu difficillimi. Valeas ergò, & si quid dictum, quod aures offendat tuas, ignoscas, *sat* enim, teste *Celso l. 6. c. 18. difficile est in morbis mulierum explicandis, & pudorem, & artis præcepta simul observare.* Medicè enim, non Ethicè, hunc morbum tractare debuimus. Quod si benè tecum consideraveris, facilem, imò facillimam nobis veniam eris daturus. Vale, & hæc, quæ de benedictionis Divinæ Instrumentis juvandis attulimus, eo quo scripsimus, casto animo perlege.



***

MUsæ canunt, lætantur,
Ovatque divus Phœbus,
Tibique gratulatur,
Dum mox suprema dona
Nacturus es laborum,
Nacturus es virtutum,
Nacturus es doctrinæ.
Hinc barbitum divinus

Apollo



Apollo nunc exercet,
Tuasque laudes tollit,
ad aſtra celſa cœli,
Optatque quævis fauſta.

Hæc pauca addebat Nobiliſſimo atq; Clariſſimo DN. Candidato animitus quævis proſpera precans

J. C. SEINSHEIMER.



⁂

DUm merito quivis Tecum nunc gaudia ſumma
Concipit, atque libens gratatur pectore toto,
Dum nanciſceris mox præmia ſumma laborũ.
Me quoque delectat teſtari gaudia blandis
Vocibus. Idcircò venerandum in vota vocabo
Jovam, ut ſit præſtò flatu fortuna favente.

Paucis hisce Nobiliſs. ac Clariſsimo DN. Candidato, Amico ſuo longè chariſsimo gratulari voluit

JUSTUS BRUININGK. Brem.

Afferrem,

***

AFferrem, quodcunq; dedit mihi Musa, libenter,
Nominis ut laudes, lætis ad sidera celsa
Vocibus efferrem. Si non sub pondere tanto
Corruerem, cum jam vires id ferre recusent.
Excipient dignis Te præmia maxima honoris.
Quæ Tibi doctrinâ, studiô & virtute parâsti.
Sed cum laude Tua resonant sacra templa Lycei,
Non multum ingenium, & tenuis mea lingua valebit.
Opto hoc postremum, quo faustè singula fiant,
Atq; Tibi quævis succedant amne secundo.

Sic Nobilissimo atque Clarissimo DN. CANDIDATO, Amico suo suavissimo, petituro summos in Arte Medica Honores & privilegia Doctoralia, animitùs gratulatur

MARTINUS PELLER Norib.

Errata graviora ita restituenda sunt.

In proœm. l. 6. leg. verberarentur. pag. 6. l. 11. post arvumq; add. Naturæ. *p. 8. lin. ante ult. 8. del.* etiam. *p. 12. l. 10. del. nunc. p. 17. l. ante ultim. 13. del. quoq;. p. 21. in med. pro seterilitate leg. sterilitate. p. 23. lin. ante ult. 10. del. sit. p. 24. lin. 4. pro ètiam leg. enim.*

Reliqua leviora B. L. per se cognoscet, iisque pro humanitate suâ facilè ignoscet.

FINIS.